

# Cap. III. De Prandio, & cœna, &c. 21

**Calor in somno reuocatur.**  
Somni efficiens.  
  
**Ventriculi obstrukciones qua mala parviant.**  
  
**Cur biliosi inediā non ferant.**  
  
**Sect. 29.**  
  
**3. Pri. Doc. 2. cap. 7.**

riora corporis, & evanescunt ab interioribus, & debilitatur calor in interioribus corporis ob indigestionem, & propter hoc est, quod antiqui præferabant cœnam prandio, præcipientes quod sumeretur plus in cœna, propter aggregationem caloris in interiora corporis frigiditate noctis, & somno, quia calor innatus in somno reuocatur.] Patet igitur, quod tempus quo in primis concoctio per cunctas viuenter corporis particulas adiuuat est nocturnum, propterea quod somnus conciliatur, qui & potissimum à natura institutus est pro reficiendis, refocillandisque dilapsis, ac diurno labore dissipatis spiritibus, & eo magis, quia dū ociosa quiescit animalis facultas, maximè suum exercent opus vitalis & naturalis, & præfertim naturalis hæc. Ad das etiam quod inter prandium & cœnam interuenire solent octo duntaxat horæ, sexdecim verò inter cœnam & prandium succedens, & cum natura plus otij habuerit, rationi consentaneum est, ut non solum cibum perfectius conficiat, verùm etiam ventriculum puriorum & à cruditatibus liberum reddat. Sed si nimis, plusquam excoquere in cœnæ usque tempus valeat, ventriculus exoneretur, ac nouis ingeratur cibus, cruditatibus ipsum replexi nulli dubium est, ex quibus obstructiones, febres, inflammations, abscessus, & multa alia huiusmodi ortum habere solent. Et ideo dicebat Galenus: [Crudo crudum addere quid deterius?] Excipiuntur tamen pueri qui crescunt, & plurimum caloris habent, qui calor cum fundatus sit in substantia aërea & aqua, humida nempe & calida, facillimè defluit: idcirco necessarium est, ut sàpè comedant, quoniam oportet defluxum similem esse subiecta substantiae. Vbi enim id quod defluit, plurimum est, quod verò influit, paucum, necesse est subiectam corrumpi substantiam: inquit enim Hippocrates Prima Aphorismorum, [Qui crescunt, quia calidam & humidam habent substantiam, idcirco plurimum ab ipsis defluere necessarium est, & ob id plurimo egent alimento, alioquin corpus absumentur.] Oportet namque alimentum, quod effluxit è corpore, suppleatur. De his ergo non loquimur, nec etiam de quibusdam aliis, qui natura admodum biliosi sunt, qui cum plurima abundant bile, multa in eis fit resolutio, atque cum ea in ventriculo congregetur, cogit pluries in die cibum assumere, alioquin fæuissima iuicunt symptomata, quia bilis accedit, & dum effervescit, petit os ventriculi, & dolores vehementes facit, quia pars admodum sensibilis est, & syncope inducit, si bilis multiplicetur, & famis toleretur, & sàpè etiam deiicitur appetitus, & cibus postea cum assumitur, in ventriculo corruptitur ob bilis admisionem, & multa alia incurruunt accidentia, quæ connumerat Galenus secundo Acutorum, necnō & Princeps. Ideo tales pluries in die cibum assumere, & ante balneum, & frictiones, & exercitum coacti sunt, nec regulain seruare possunt. Sed ad propositum redeamus, & quoniam probauimus cœnam prandio copiosorem esse debere, ideo videamus nunc quid omnibus conducat, & plus cibi in cœ-

na assumere, quam in prandio: & quamvis verba Galeni hoc testari videantur, secundo Methodum inquit. [Sommus concoquit, vi. gilia digerunt,] ut per somnum noctis, alimento in cœna assumptum concoquatur, quod concoctum postea in die possit distribui per vniuersum corpus, & à qualibet particula sibi proprium attrahi, atque assimilari, nihilominus habenda est ratio eorum, qui per longum tempus aliqua in consuetudine sunt constituti. Cum etenim consuetudo sit altera ascititia natura, ex consensu omnium antiquorum, ideo non sine maximo corporis detimento ea permutari poterit, & præterim repente, velut clare descripsit Hippocrates secundo Acutorum: [Nempe tum iis qui semel, noxas & infirmitatem patiunt repentinæ mutationes: qui enim prandere non consueuerunt, & prandent, statim infirmi fiunt, & eorum corpora grauia, imbecillia, &c. Et si super cœnauerint, acidum ructant, alii lauitas eos exercet, ventriculus nempe præter consuetudinem grauatur solitus resicari, & non bis tumescere, nec bis eadem die cibos concoqui. ] Et paulò infra subiungit: [Qui bis in die cibum capere soliti sunt, si pransi non fuerint, debiles & infirmi sunt, & ad omne opus timidi, viscera enim ipsis pendere videntur, & alii egestio comburiunt. ] Et multa alia enumerat incommoda, quæ ex repentina mutatione consuetudinis oriuntur possunt. Quod idem Galenus in libro de Dissolutione continui affirmat, dum inquit, [Etiam consuetudo in eis addit magnam partem quoniam qui confucuit prandere, & remouetur, & est contentus cœna, magnificat nocumentum sibi, & qui consueti sunt cibum in aliqua hora determinata assumere, & mutatur ad aliam præter istam horam, declarabitur sibi hæc permutatio noctua, licet mutauerit cibum ab horis malis ad horas bonas. Mutationes ergo eorum quæ circa naturas nostras & habitus contingunt, maximè morbos faciunt. Et propterea nemo debet immutare consuetudinem, quando est antiquata, & longa, et si bona non sit, dummodo non adducatur aliquid necessitatis ad mutationem suam: nam consuetudo est natura secunda, sicuti memorat sapiens Hippocrates.] Hæc Galenus. Ex quibus manifestè appetit, omnes repentinæ ad inconsueta permutations maximam sanis lassionem affere: de ægris enim alia est ratio. In rebus ergo naturalibus suam quisque seruare debet consuetudinem, si longa fuerit. Dicebat namque Hippocrates secunda Aphorismorum: [Quæ longo tempore consueta sunt, et si deteriora sint, insuetis tamen minus molesta re solent.] Pulcherrimamque super his Galenus adducit rationem tam in cibis & potibus, quam aëre, nam de cibis inquit: [Cum ex his fiat habitus, acquiraturque similis illis natura, cum longo tempore perseverauerint, fieri etiam habitus ille similis nutrimento futuro, quare faciliter concoquetur, nil aliud enim est concoctio, nisi assimilatio: & quæ assimilata sunt, iam magna ex parte facilimè transmutantur, ideo familiaria melius concoquuntur, eaque causa panis optimum præbet alimentum. In aëre etiam frigidus

Cap. 3.

Consuetudo altera natura  
ra.

Intra modum.

Concoctio ob  
assimilatio.